UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

51. An qui de hæresi suspecti coguntur per Inquisitores abiurare de vehementi, incurrant irregularitatem? Ex part. 4. tract. 2. res. 47.

urn:nbn:de:hbz:466:1-76372

Visual Library

Sup. hoc in Reſ. 2. not. præteritæ §. Sed tota. & in to. 3. tr. 3. Reſ. 33. & in aliis ejus adnot.

Sup. hoc in Reſ. ſeq. §. Notandum.

hos Doctores hæreticus occultus poſt impetratam abſolutionem poteſt ſine ulla diſpenſatione & metu irregularitatis celebrare & ad *cap. ad abolendam*, reſpondent, quòd loquitur de publico hæretico, ut apparet in illis verbis, *quicumque manifeſtè fuerit in hæreſi deprehenſus*. Sic etiam *c. ſaluberrimum* 1. *quæſt*. 3. loquitur pariter de hæretico publico, & de ſolemni abjuratione, quæ in ſcriptis fit, & hanc ſententiam probabilem eſſe docet Reginaldus *tom*. 2. *lib*. 30. *tract*. 2. *c*. 15. *num*. 194. Sed tu ne diſcedas à prima opinione tanquam probabiliori.

RESOL. L.

An ſuſpecti de hæreſi ſint irregulares?
Et an Clericus, qui lapſus eſt in hæreſim, poſſit poſt pœnitentiam, & abjurationem exercere ſuſceptos Ordines, dummodo obtineat diſpenſationem ſaltem ab Epiſcopo?
Et an prohibitum ſit inquiſitori Generali Hiſpaniarum, ut non poſſit cum Sacerdotibus hæreticis pœnitentibus diſpenſare, ut Miſſam celebrent? Ex part. 4. tract. 2. Reſol. 48.

Sup. hoc inf. in Reſ. 53. curſim in §. ult. & ſup. in Reſ. 46. breviter, & recitanter in princ. §. ult.

§. 1. AFfirmat Peſantius *in addit*. 3. *part*. *q*. 20. *diſp*. 5. Turrianus *de cenſ*. *lib*. 9. *diſp*. 62. *dub*. 2. & alii, negat Præpoſit. *in* 3. *part*. *quæſt*. 5. *de irregul*. *dub*. 7. *num*. 47. & alii.

2. Sed tu dic cum Sanctarello *tract*. *de hæreſi c*. 25. *dub*. 1. *num*. 9. & alii penes ipſum, quòd ſuſpecti de hæreſi ſunt irregulares, quando ſuſpicio oritur ex eo, quòd favent hæreticis, vel illos defendunt, vel recipiunt, ſed ſi ſuſpicio oritur ex alio crimine, tunc non erunt irregulares propter hujuſmodi ſuſpicionem, ſed ſolùm propter infamiam, ſi crimen fuerit notorium; quare ſi auferatur infamia, & ſuſpicio purgetur, conſequenter etiam tollitur hujuſmodi irregularitas, & ita etiam docet Sanchez *tom*. 1. *lib*. 2. *cap*. 25. *num*. 10. Filliuccius *tom*. 1. *tract*. 20. *cap*. 9. *numero* 235. Villalobos *in ſumma tom*. 1. *tract*. 21. *diffic*. 16. *num*. 7. & alii penes ipſum.

Sup. hoc in Reſ. præterita, curſim propè finem, & inf. in Reſ. 53. §. 1. & 2.

3. Notandum eſt tamen hîc obiter ſecundùm Avilam *de cenſur*. *part*. 7. *diſp*. 4. *dub*. 2. Sayrum *de cenſ*. *lib*. 7. *c*. 12. *num*. 16. & alios, poſſe Clericum qui lapſus eſt in hæreſim pôſt pœnitentiam & abjurationem exercere ſuſceptos Ordines, ſed non poſſe ante ſuſceptam legitimam diſpenſationem ſaltem ab Epiſcopo, docet Præpoſitus *in* 3. *part*. *quæſt*. 5. *de irregul*. *dub*. 7. *n*. 42. Coninch. *de cenſ*. *diſp*. 18. *dub*. 7. *n*. 57. Verùm non reticeam hîc etiam adnotare affirmativam ſententiam abſolutè & ſine ulla diſtinctione docere noviſſimè Hurtado *diſp*. 2. *de irregular*. *diffic*. 3. *n*. 10. ubi ſic ait, Clerici converſi ab hæreſi non poſſunt ad ſuperiorem Ordinem promoveri, ut patet ex *can*. *ſaluberrimum* 1. *quæſt*. 7. poſſunt tamen abſque diſpenſatione aliqua ſuis Ordinibus uti, quicquid nonnulli dicant, ut ex eodem canone deducitur. Ita ille. Sed tu negativam ſententiam tene per ea, quæ adducit Sanctarellus *tract*. *de hæreſi cap*. 25. *dub*. 1. *n*. 3. & 6. & Pegna *in direct*. *inquiſit*. *part*. 3. *comm*. 175. ubi etiam aſſerunt Pium V. *anno* 1567. prohibuiſſe Inquiſitori Generali Hiſpaniarum, ut non poſſit cum Sacerdotibus hæreticis pœnitentibus diſpenſare ut Miſſam celebrent. Vide Suarez *de cenſur*. *diſput*. 43. *ſect*. 1. *num*. 6. ubi aſſerit cum ſupradictis hæreticis pœnitentibus poſſe Epiſcopos diſpenſare circa uſum Ordinum uſque ad Diaconatum incluſivè, ſecus autem quoad diſpenſationem Sacerdotii.

Sup. hoc inferius in tr. 10. Reſ. 136. §. Sed hic.

RESOL. LI.

An qui de hæreſi ſuſpecti coguntur per Inquiſitores abjurare de vehementi, incurrant irregularitatem? Ex p. 4. tract. 2. Reſ. 47.

§. 1. HOs eſſe irregulares ratione ſuſpicionis vehementis de hæreſi, & notoriæ quidem, tradit Azorius *tom*. 1. *lib*. 8. *c*. 21. *quæſt*. 8. & noviſſimè hanc ſententiam docet etiam Emanuel Moura *opuſ*. 1. *de enſalmis & incantionibus ſect*. 3. *cap*. 6. *num*. 21. & 22.

2. Sed dicendum eſt nullatenus eſſe irregulares, & ita docet Coninch. *de cenſur*. *diſp*. 18. *dub*. 7. *num*. 55. Sanctarellus *de hæreſi c*. 25. *dub*. 1. *n*. 9. Sanchez *in ſumm*. *tom*. 1. *lib*. 1. *c*. 25. *n*. 12. Henriquez *libro* 13. *cap*. 56. *n*. 1. Souſa *in aphoriſm*. *inquiſ*. *lib*. 3. *cap*. 5. *numero* 6. Farinacius *de hæreſi*, *quæſt*. 192. §. 5. *num*. 80. Navarrus *lib*. 5. *de hæret*. *conſil*. 16. *num*. 1. Portel *in addit*. *ad dubia regul*. *ver*. *irregularitas*, *n*. 20. Garzias *de benefic*. *tom*. 2. *part*. 11. *c*. 10 *n*. 88. aſſerens ita fuiſſe reſolutum in Rota. Emanuel Sà *ver*. *hæreſis*, *n*. 5. & alii. Ratio eſt, quia hi non damnantur tanquam hæretici, nec imponitur eis aliqua pœnitentia ob hæreſim, ſed ob ea geſta, ex quibus hæreſis ſuſpicio orta eſt, à qua ſe purgat per abjurationem, & in jure imponitur pœna irregularitatis hæreticis, non autem abjurantibus hæreſim, & ideo Villalobos *in ſum*. *tom*. 1. *tract*. 21. *diffic*. 15. *num*. 2. [dize de un Prelado que abjuro] de vehementi, [y el dia ſiguiente ſin diſpenſacion ſe fue à dezir Miſſa, loqual aprobo, y loo el Papa y toda la curia.]

RESOL. LII.

An Hæreticorum fautores, receptatores, & defenſores, &c. incurrant irregularitatem? Ex part. 4. tract. 2. Reſ. 44.

§. 1. AFfirmativam ſententiam tenent communiter DD. quos citat, & ſequitur Avila *p*. 7. *diſp*. 4. *dub*. 2. *concl*. 2. quibus ego addo Villalobos *tom*. 1. *tract*. 21. *diffic*. 15. *n*. 16. Ioan de la Cruz *in director*. *part*. 2. *de irregular*. *dub*. 4. *concl*. 2. Præpoſ. & Coninch ubi infrà. Suarez *de cenſ*. *diſp*. 43. *ſect*... *num*. 5. Valentiam *tom*. 4. *diſp*. 7. *quæſt*. 19. *punct*. 3. Toletum *lib*. 1. *c*. 69. *n*. 2. amiciſſimum Sanctarellum *tract*. *de hæreſi cap*. 25. *dub*. 1. *num*. 4. qui hoc probat ex *cap*. 2. §. *hæretici*, *de hæretic*. *in* 6. ubi iſti dicuntur eſſe inhabiles ad omne beneficium, & officium publicum, & ſub nomine officii publici comprehenduntur non ſolùm officia temporalia, ſed Eccleſiaſtica, & conſequenter etiam Ordines qui pertinent ad officium publicum. Alii adducunt alios canones; ſed Turrianus *de cenſur*. *lib*. 9. *diſp*. 62. *dub*. 2. obſervat quòd hæc ſententia ex jure non omnino apertè colligitur, & ideo Hurtado *diſp*. 2. *de irregular*. *diffic*. 3. *num*. 9. difficile exiſtimat ſupradictos incurrere irregularitatem, quia in jure dicuntur tantùm inhabiles ad beneficia & officia publica: quòd autem ſub nomine officiorum non includatur Ordo, adversùs Sanctarellum & alios, probat Hurtado *loco cit*. *num*. 7. adi illum, & non pigebit; & hanc ſententiam abſolutè docet Petrus Cornejo *in* 3. *part*. *D*. *Thomæ tract*. 5. *de irregul*. *diſp*. 8. *dub*. *unico qu*. 8. Sed ſtando in prima opinione Præpoſ. *in* 3. *part*. *quæſt*. 5. *de irregul*. *dub*. 7. *num*. 44. Coninch. *diſp*. 18. *dub*. 7. *n*. 51. *concl*. 2. & alii, limitant illam, ut intelligatur, ſi ſupradicti foveant

hære

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN